Bonn 25/7 57.

# QUAESTIONES DE DEMOSTHENIS ET AESCHINIS ORATIONIBUS DE FALSA LEGATIONE.



## DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVI. MENSIS IULII ANNI MDCCCLI.

PUPLICE DEFENDET

MICHAEL SCHMIDT

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOSEPHUS HILGERS, DR. PHIL.

CAROLUS BRAUN, STUD. PHIL. SEM. PHIL. SOD. ORD.

THEODORUS HUG, STUD. PHIL. SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE,

FORMIS F. P. LECHNERI.

MDCCCLI.

## CAPUT I.

### Num orationes περὶ παραπρεσβείας in iudicio sint habitae.

Utrum Demosthenis et Aeschinis orationes περὶ παραπρεσβείας in iudicio sint habitae an scriptae tantum, nostris temporibus multi quaesierunt atque alii aliter de hac re senserunt. Et negant quidem orationes esse habitas A. G. Beckerus [1], Passowius [2], Westermannus [3]; habitas eas esse contendunt Taylorum [4] secuti Meierus et Schoemannus [5], Winiewskius [6], Rankius [7], Bruecknerus [8], Boehneckius [9]. Quorum posteriores quum singuli singulis tantum argumentis usi sint, priores vero omnia quibus suam sententiam comprobari putarunt attulerint; non a re alienum videtur, quae in utramque partem disputata sunt breviter censere et nova quaedam addere ad hanc litem dirimendam idonea, ut appareat quae sententia propius ad veritatem accedat. Quod ut via ac ratione fiat, primum nobis vete-

1) Demosthenes als Staatsmann und Redner p. 320.

2) Erschii et Gruberi encyclopaedia litteraria s. v. Aeschines, p. 75.

3) Historia eloquentiae tom. I. §. 58. p. 114. §. 59. pag. 116. Idem in libro: de litibus quas Demosthenes oravit ipse p. 53. sqq.

4) Praefatio ad Demosth. de f. leg. (Schaeferi appar. tom. II. p. 396 sqq.)

5) Der attische Process. p. 214. ann. 3.

6) Commentarius ad Demosthenis or. de corona. pag. 145. ann.

7) Ersch. et Grub. encycl. litt. s. v. Demosthenes. p. 106.

8) König Philipp und die hellenischen Staaten. p. 232. ann. 74.

9) Forschungen auf dem Gebiet der attischen Redner. p. 676.

rum de hac re testimonia sunt spectanda, tum recentiorum argumenta quae pro sua quisque sententia attulerunt ponderanda nostrumque iudicium quam firmissime possumus stabiliendum.

Atque ex veteribus scriptoribus Dionysius Halicarnassensis haec tradit[1]: (ἐπ' ἄρχοντος *Πυθοδότου*) καὶ τὸν κατ' Αἰσχίνου συνετάξατο λόγον, ὅτε τὰς εὐθύνας ἐδίδου τῆς δευτέρας πρεσβείας τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους: quibus ex verbis nihil certi ad nostram quaestionem colligere licet.

Plutarchus[2]) haec habet: ὁ δὲ κατ' Αἰσχίνου τῆς παραπρεσβείας ἄδηλον εἰ λέλεκται· καίτοι φησὶν Ἰδομενεὺς παρὰ τριάκοντα μόνας τὸν Αἰσχίνην ἀποφυγεῖν. ἀλλ' οὐκ ἔοικεν οὕτως ἔχειν τἀληθὲς, εἰ δεῖ τοῖς περὶ στεφάνου γεγραμμένοις ἑκατέρων λόγοις τεκμαίρεσθαι· μέμνηται γὰρ οὐδέτερος αὐτῶν ἐναργῶς οὐδὲ τρανῶς ἐκείνου τοῦ ἀγῶνος ὡς ἄχρι δίκης προελθόντος· ταυτὶ μὲν οὖν ἕτεροι διακρινοῦσι μᾶλλον. Pseudoplutarchus[3]) refert: τριάκοντα ψήφοις ἀπέφυγεν· εἰσὶ δ' οἵ φασι συγγράψαι μὲν τοὺς ῥήτορας τοὺς λόγους, ἐμποδὼν δὲ γενομένων τῶν περὶ Χαιρώνειαν[4]) μηκέτι τὴν δίκην εἰσελθεῖν. Accedunt Philostratus[5]), Photius[6]); denique scriptor Aeschineae epistolae 12, qui accusatum esse Aeschinem et absolutum affirmant. Apparet igitur iam veterum temporibus fuisse qui hanc litem negarent esse oratam, quamquam Idomeneus disertis verbis tradiderat, Aeschinem in iudicio absolutum esse triginta tantum suffragiis. Nullam autem aliam causam videntur attulisse nisi eam qua Plutarchus hanc sententiam probare conatur, in orationibus de corona nullam huius litis factam esse men-

1) Epistol. I. ad Ammaeum. cap. 10.

2) Vita Demosth. c. 15.

3) Vit. X. orat. p. 840. C.

4) Verba ἐμποδὼν—Χαιρώνειαν errore nituntur scriptoris causam Ctesiphonteam cum παραπρεσβείας confundentis.

5) Vit. Sophistarum I. 18. p. 508. (ed. Olear.)

6) Biblioth. Cod. 264.

tionem. Qua quidem ratiocinatione non refutari disertum Idomenei testimonium, equidem censeo, praesertim quum probabilem causam proponere liceat, qua commoti in lite posteriore oratores de priore tacuerint. Quamquam Westermanno non assentior, qui [1]) Demosthenem quidem tacere potuisse, Aeschinem autem prius iudicium nullo pacto silentio praeteriturum fuisse sibi persuasit. Etenim in promptu est, cur Aeschines de tota hac re tacuerit, qui in orat. contra Ctesiphontem §§. 58—83. demonstrare conatur unum Demosthenem totius calamitatis esse auctorem, quae finito bello Phocensi in Athenienses irruperit; quod ut probet miris mendaciis utitur atque eo fraudulentiae procedit, ut ne verbum quidem de suis ad Philippum legationibus dicat. Qui autem fieri potuit, ut quum de legatione a se suscepta prorsus taceret, proditionis in illa legatione commissae se a Demosthene reum esse factum commemoraret? Neque tamen abstinere potuit, quominus tecte quidem Demosthenis accusationem perstringeret, quam expressis verbis carpere nollet. Etenim haec leguntur verba §. 64.: *τοὺς ἄλλους πρέσβεις τοὺς πολλὰ συκοφαντηθέντας ὕστερον ἐκ μεταβολῆς ὑπὸ Δημοσθένους.* §. 79.: *Δημοσθένης δὲ ἐπέστη τῶν ἄλλων κατήγορος.* §. 81. [2]) *Ἡγήσατο εἰ τῶν συμπρεσβευόντων καὶ τοῦ Φιλίππου κατήγορος ἀναφανείη, τὸν μὲν Φιλοκράτην προδήλως ἀπολεῖσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους συμπρέσβεις κινδυνεύσειν, αὐτὸς δὲ εὐδοκιμήσειν.* Possunt quidem et haec omnia et Demosthenis locus quem infra afferemus ita explicari, ut in concionibus [3]) Demosthenem Atheniensium animos contra collegas suos et Philippum putemus irritasse; sed iisdem verbis etiam orationem *περὶ παραπρεσβείας* spectari, sive habita erat illa sive scripta tantum, quis potest negare? Immo si scripta tantum a Demosthene erat oratio, multo potius in eam tamquam *συκοφάντου* machina-

1) de litibus quas Dem. or. ipse. p. 54.
2) hunc locum iam attulit Westerm. p. 54.
3) cf. Philipp. II. §. 34. sqq.

tionem disertis verbis invehere et potuit et debuit; quod quum non fecerit, in aperto est, eum noluisse Athenienses commonefieri de opera quam ipse in pace Philocratea facienda collocaverat. Effecisse igitur hoc mihi videor, ut Aeschines cur de lite a Demosthene sibi illata nullam prorsus mentionem fecerit in posteriore oratione facile intelligamus. At Demosthenes cur in sua de corona oratione tacuerit, causam afferre multo difficilius videtur. Ille enim §§. 18—41. de pace Philocratea et de altera legatione loquitur, atque id agit, ut Aeschinem et Philocratem infelicis belli Phocensis exitus demonstret auctores fuisse, quod idem in oratione περὶ παραπρεσβείας sibi proposuit. Videtur igitur consentaneum esse, oratorem ubi Aeschinis vanas pollicitationes carpserit eumque proditionis arguerit, iudicum animos ad priorem accusationem convertere, qua deceptis iudicibus, ita enim dicere potuit, crimine absolutus erat Aeschines. Neque vero ulla fit huius litis mentio, nisi forte hoc sensu accipias verba quae leguntur §. 31.: ὑπὲρ οὗ (sc. τοῦ τούτων δωροδοκήματος) καὶ τότε καὶ νῦν καὶ ἀεὶ ὁμολογῶ καὶ πολεμεῖν καὶ διαφέρεσθαι τούτοις. Quamquam haec non necessario de accusatione intelligenda esse nemo est quin concedat. Tacuit igitur Demosthenes quoque de accusatione παραπρεσβείας, nulla alia commotus causa, nisi quod ex eo iudicio inferior discessit, et aegre ferens adversarii priorem victoriam, hanc causam noluit commemorare. Quae quum ita sint, haud magni momenti est utriusque scriptoris in oratione de corona silentium, neque vel hoc solo argumento res conficitur, ut volunt Beckerus [1]) et Westermannus [2]). Nulla autem alia causa usi esse veteres videntur qui dubitabant num habitae essent orationes [3]).

1) Demosth. als Staatsmann u. Redner p. 320. 321.

2) de litibus quas D. or. ipse p. 54.

3) Quae Photius tradit, fuisse qui putarent a Demosthene non editam sed ἐν ὑπομνήμασι relictam fuisse orationem περὶ παραπρεσβείας, infra breviter sunt censenda.

Recentiores vero argumenta attulerunt ex ipsa rerum conditione desumpta, quibus demonstrari sibi persuaserunt orationes scriptas tantum fuisse. Et argumentum quod maxime premunt omnes [1]) hoc est, Demostheni opus fuisse testimoniis quibus Aeschini crimina probaret; haec autem non omnia eum comparare sibi potuisse, quum reliqui legati contra collegam testes esse noluissent, quippe qui ipsi eiusdem criminis accusari deberent damnato Aeschine. Quae ratiocinatio ipsis orationibus refutatur; testes enim citantur ceteri legati plus semel; nec testimonium negare per leges licebat, quum Demosthenes cogere eos posset ut testarentur[2]). At ficta et haec sunt testimonia, inquit Westermannus, et alia multa (Aesch. §. 86. §. 143. Dem. §. 176). Sed si ita agere volumus, ut testimonia omnium eorum quorum nomina ignoramus aut quos quomodo Athenas arcessiverint oratores nescimus, tamquam ficta et suspecta reiiciamus, multa multarum orationum, quas dictas esse nemo negat, testimonia addubitare licet. Nihil igitur hac via certi efficitur; nec maioris momenti est, quod dicit Westermannus multa inesse testimonia quibus quae aliena sint vel nulla confirmatione indigeant comprobentur. Hunc enim constat morem fuisse oratorum, ut iudices, quibus summam causam omni ex parte probare se posse non confidebant, quasi obruerent testimoniis undique arreptis, quibus quae aliquo modo ad rem ipsam pertinebant vera esse penitus persuaderent; quo maiorem fidem compararent iis quae haud ita certe demonstrari possent. Ad hanc ostentandi potius quam probandi consuetudinem etiam illud spectat, quod poetarum versus orationibus inserunt, neque alio modo explicandum, si ita fucum facere conantur, ut se ipsos testes praestent,

---

1) Passow. l. l. Becker. p. 321; Westerm. p. 57.

2) cf. §. 176. Aesch. §. 68. Meier et Schoem. attischer Process p. 671. sqq.

quos si mentiantur falsi testimonii accusari liceat [1], vel mortis supplicio se offerant si verum non sit quod proferant [2]. Quod denique argumentum Westermannus tertio loco posuit, deesse gravissimarum rerum testimonia, hoc non negandum est, atque in altera huius disputationis parte eius rei exempla quaedam afferemus. Neque vero satis multa desiderantur huius generis testimonia neque hoc argumentum ad quaestionem dirimendam multum facit; nam res sat graves in omnibus fere orationibus insunt, quas veras esse oratores affirmant nullis additis testimoniis, neque quisquam propterea litem nullam esse institutam sibi persuadebit. Tota igitur argumentatio quae ex testimoniorum conditione repetitur, nullam demonstrandi vim habet, unde colligatur, utrum habitae sint orationes nec ne. Videamus alia quae prolata sunt.

In argumento I°. orationis contra Timarchum memoriae traditur, Timarchum ab Aeschine esse accusatum propterea quod hic cum Demosthene coniunctus eum male gestae legationis postulaturus fuerit. Hoc falsum esse certe Demosthenes non comprobat qui quidem §. 286. aliam Aeschini fuisse causam accusandi Timarchi contendit. Hoc igitur socio infamia notato solus Demosthenes Aeschinem *παραπρεσβείας* reum fecit. Habitam esse orationem contra Timarchum Ol. 108, 3. Boehneckius demonstrat [3]; orationes de f. leg. conscriptas esse Dionysius Halicarnassensis tradit [4]) archonte Pythodoto, Ol. 109, 2, quod cur falsum esse putemus non est [5]). Westermannus igitur se non credere profitetur [6]) per tres annos Demosthenem quievisse ac litem

1) Dem. §. 176. cf. quae de h. l. exposuerunt Meierus et Schoemannus p. 668.

2) Aesch. §. 59. §. 159.

3) Forschungen p. 294. ann.

4) ep. I. ad Amm. c. 10.

5) Brueckuerus: König Philipp p. 234. 235.

6) de litibus p. 55.

distulisse, tam gravem quidem ut nullam moram pateretur. Qua via nihil effici, nemo non intelliget qui reputaverit, Demosthenem non quandocunque vellet, sed tum solum accusare Aeschinem potuisse, quum legationis rationem redderet[1]). Legatis autem quando ratio esset reddenda legibus non erat constitutum; quare neminem mirum habebit Aeschinem tempus rationis reddendae quam maxime distulisse. Fallitur enim Westermannus, qui putat[2]), ultra annum differre rationem Aeschinem non potuisse. Quod ut nemini non persuadeam, adscribam locos nonnullos Demosthenis quorum unum ipse Westermannus attulit, qui legitur §. 103.: *εἴ γέ τι τῶν προςηκόντων ἐγίγνετο, ἐν εἰσαγγελίᾳ πάλαι ἂν ἦν· νῦν δὲ διὰ τὴν ὑμετέραν εὐήθειαν καὶ πραότητα εὐθύνας δίδωσι καὶ ταύτας ὁπηνίκα βούλεται.* Accedunt alii: §. 17.: *(τῆς πρεσβείας ταύτης τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους) ἧς περ εἰσὶν αἱ νῦν εὔθυναι.* §. 258.: *ἀλλὰ καὶ διακρουόμενος πάντα τὸν ἔμπροσθεν χρόνον εἰσελθεῖν εἰς τοιοῦτον ὑπῆκται καιρὸν κ. τ. λ.* (cf. §. 256.) §. 223.: *ἐπὶ τὰς εὐθύνας ἥκω τὸ μέλλον προορώμενος καὶ βουλόμενος ἀγῶνι καὶ δικαστηρίῳ μοι διωρίσθαι κ. τ. λ.* Addi possunt etiam §§. 81, 82, 95. Aesch. §. 178. extr. Itaque patet, Aeschinem tempus rationis distulisse; quod si contra leges fecisset, certe culpatus esset a Demosthene. Quum vero non ut Philocrates *εἰσαγγελίᾳ* accusatus esset, tum demum accusari potuit quum rationem reddebat. Accedit, quod si, ut vult Westermannus, Aeschines iam rationem reddidisset, in sua oratione, quam scriptam modo nunc paullisper sumo, profecto vix omisisset Demosthenem *συκοφαντίας* increpare, qui non *εὐθύνων* tempore in iudicium se vocaverit. Cf. Aesch. de f. leg. §. 96. Quare cur Demosthenes litem distulerit, non potest esse dubium; cur vero si litem noluisset intendere, orationem qua civium animos in illum irritaret, non prius edidisset, haud ita facile expedient qui non habitas esse putant orationes.

---

1) Meier. et Schoemann. attischer Process p. 228. ann. 34.

2) p. 52.

Quodsi ἐν εὐθύναις tantum legatos accusari licuit παραπρεσβείας, etiam aliud argumentum corruit quo usi sunt Beckerus [1]) et Passowius [2]). Putant enim Demostheni si Aeschinem accusavisset, ceteros quoque legatos, quos in oratione compluries carpsit, eodem tempore in iudicium vocandos fuisse. Neque enim quisquam praeter Demosthenem (cf. de f. leg. §. 211.) rationem reddiderat, quam quum Aeschines esset redditurus, Demosthenes exstitit accusator; qui si vicisset, ceteros quoque fortasse postulasset; quum autem inferior discessisset, consentaneum est eum postea quievisse.

Haec fere sunt argumenta ex ipsa rerum conditione repetita quibus demonstrari putarunt non habitas esse orationes. Restat ut quae ad contrariam sententiam comprobandam ex ipsis orationibus colligi possunt argumenta nunc ipse proponam. Quo priusquam accedam, non a re alienum erit demonstrare, parum commode ab iis, qui orationes scriptas modo esse sibi persuaserunt, explicari quo consilio vel qua ratione scriptae sint. Fieri autem potuit ut Demosthenes accusatione ad magistratum delata orationem hanc componeret qua in iudicio uteretur; postea vero, nescio qua causa permotus ab actione persequenda desisteret, orationem autem iam conscriptam publici iuris faceret; quo facto Aeschines quoque ut acerba crimina sibi imputata refelleret, orationem ad usum forensem accommodatam Demostheni opponeret. Et huius quidem generis esse Midianam Demosthenis nemo nescit. Sed orationes de falsa legatione hoc modo esse ortas valde improbabile est neque quisquam est qui contendat. Primum enim cur ab actione destiterit Demosthenes idonea causa nulla exstat. Nam testimonia quibus opus erat pleraque ei in promptu fuisse supra demonstratum est; in inimicitiam factionis Aeschineae

1) Demosth. als Staatsm. u. Redner p. 321.

2) Encycl. litt. s. v. Aesch. p. 75.

nihilominus incidit tam gravibus in publicum emissis criminationibus. Accedit quod non sine periculo actio deserebatur; quam qui inceptam deseruerat, mille drachmas aerario debebat, eamque infamiam sibi contrahebat ut nullam in posterum eiusdem generis actionem intendere ei liceret [1]). Quamquam non ignoro illis temporibus hanc legem haud semel neglectam esse; neque vero ommittunt oratores occasione oblata ei qui actionem delatam non persecutus erat tale quid in opprobrium vertere; ut Aeschines Demosthenem carpsit c. Ctes. §. 52; Timarchum c. Tim. §. 114; Demosthenes Euctemonem in Midiana §. 103. Quodsi Demosthenes litem *παραπρεσβείας* Aeschini intentam deseruisset, certe aliquis oratorum adversariorum in oratione contra eum habita — erant autem multae contra Demosthenem orationes — id ei crimini dedisset [2]). Atque esset sane permirum, Idomeneum, qui hanc rem dedita opera videtur tractasse, tale quid fugisse. At neque illum neque alium scriptorem ante Plutarchum probabile est certo usum testimonio tradidisse non habitas esse orationes propter litem omissam. Quae quum ita sint, nemo recentiorum de actione deserta cogitavit, sed orationes *περὶ παραπρεσβείας* putant esse compositas atque in publicum emissas ut invidiam adversariorum dispergerent et gratiam populi sibi servarent Demosthenes et Aeschines [3]). Et omnium copiosissime suam de hac re sententiam exposuit Westermannus [4]). Putat

1) Meierus: de bonis damnatorum p. 133. 134. Mei. et Schoem. att. Proc. p. 702. 703.

2) Aeschinem enim ipsum vel si ita se res habuisset, in oratione Ctesiphontea taciturum fuisse credibile est. cf. quae supra disputata sunt p. 3. et 4.

3) Becker l. l. Passow. l. l.

4) de litibus p. 59. 60. Idem quomodo rem sibi finxerit quum scriberet: (Geschichte der Beredsamkeit §. 58. p. 114.): Erst Ol. 109. 2—343 — kam die Sache wieder zur Sprache, aber bei Mangel an urkundlichen Beweisen für Demosthenes und bei Aeschines bösem Gewissen nicht öffentlich — non intelligo.

enim Demosthenem quum actionem *παραπρεσβείας* cum Timarcho Aeschini moliretur, iam orationem qualemcunque sibi exarasse; tum socio remoto rei difficultate absterritum accusandi quidem consilium abiecisse, sed sui excusandi causa orationem inceptam prout otium esset atque lubido pertractasse et absolvisse, denique cum amicis communicasse; hinc librum in manus Aeschinis venisse, eumque ignominiae impatientem defensionem contra scripsisse item forma orationis. Haec omnia quam sint improbabilia nemo non videt. Etenim etsi non impugno Demosthenem Timarchum socium ad accusandum Aeschinem sumere sibi voluisse, tamen illud nego Demosthenem hoc nequissimo socio remoto accusandi consilium prorsus abiecisse. Nam rei difficultas statim ab initio eadem erat atque postea; neque hanc tam magnam fuisse — Westermannus enim potissimum testium penuriam urget — iam supra vidimus. Tum cur Demosthenes cum amicis orationem sui excusandi causa scriptam communicaverit, nemo facile intelliget; nam amici certe nec improbabant consilium Aeschinis accusandi, nec ignorabant qua causa permotus ab actione desisteret. Denique ut paucis rem comprehendam, artificiosior haec explicatio est quam quae probabilis videatur. Restat alia quam Beckerus et Passowius amplexi videntur: ne consilium quidem Aeschinis accusandi Demosthenem cepisse, quippe qui de prospero eventu desperaret, sed Aeschinis fraudes et fallacias libello quodam quasi accusatorio detegere voluisse ac propterea orationem ad usum forensem accommodatam edidisse; Aeschinem eiusdem generis libello respondisse. Huic opinioni illud obstat, quod non erat Demosthenis in administranda republica occupati orationes componere quas legi tantum voluit et libello contumeliarum pleno in adversarium invehere, in iudicium descendere non ausum. Sed demus hoc fecisse Demosthenem, quid consentaneum est Aeschinem respondisse? Num omisisse eum credibile est aptissimam accusatoris refutandi ansam, quum dicere suffi-

ceret: »Sycophantarum modo calumniari potes, Demosthenes, in ius me vocare non audes; nonne luce clarius est fictas esse quas in me criminationes coniecisti?« Nihil eiusmodi in Aeschinis oratione legitur; magnum profecto argumentum, in iudicio habitas esse orationes.

Iam ad ea perventum est, quae ex ipsis orationibus sumpta docent non scriptas modo eas, sed in iudicio dictas esse. Et fortunae quodam favore factum est, ut oratio Demosthenica quam non habitam sed ad usum forensem scriptam esse certe scimus, Midianam dico, nobis servata sit; quacum si orationes περὶ παραπρεσβείας comparaveris, vix dubium erit, quin simili ratione ortae non sint. Alloquitur sane iudices etiam in Midiana, iubet scribam legere testimonia et leges, vocare testes, utitur pronomine οὑτοσί, quasi praesentem fingens reum, dicit se comperisse quae responsurus sit Midias (§. 29. §. 36.), omnibus denique numeris oratio similis est forensi. Itaque argumentandi vim non habent quae eiusdem generis in oratione περὶ παραπρεσβείας leguntur ut §§. 72, 78, 80, 88, 134, 182, 337. Sed quis credat nisi oratio habita esset, Demosthenem haec scripturum fuisse §. 332: εἶπε τοίνυν μοί τις ἄρτι προσελθὼν πρὸ τοῦ δικαστηρίου, πρᾶγμα καινότατον πάντων, Χάρητος κατηγορεῖν αὐτὸν παρεσκευάσθαι, quum iam §. 147. commemoravisset, fore ut Aeschines duces totius calamitatis auctores esse contenderet. Ea ipsa quae in fronte leguntur, minus commode in orationem quae scripta tantum erat quadrant. Dicit enim Demosthenes §. 1: ὅση μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, σπουδὴ περὶ τουτονὶ τὸν ἀγῶνα καὶ παραγγελία γέγονε, σχεδὸν οἶμαι πάντας ὑμᾶς ᾐσθῆσθαι, ἑωρακότας ἄρτι τοὺς ὅτε ἐκληροῦσθε ἐνοχλοῦντας καὶ προσιόντας ὑμῖν. Ceterum totus orationis Aeschineae tenor is est, qui deceat reum coram iudicibus accusatorem refutantem, non hominem contra adversarii criminationes in publicum emissas se defendentem. Huc pertinet primum illud, quod patrem, fratres, filios, ut iudicum misericordiam implorent, in iudicium ad-

ducit: §. 146. τὰ πλεῖστα καὶ καλῶς ἔχοντα ἐκ τῶν ἐμῶν ὁρᾶν ἀναβιβῶμαι. §. 149: ὁ πρεσβύτατος ἀδελφὸς ἡμῶν — ἥκει δεησόμενος ὑμῶν ἐμὲ σῶσαι. eod.: ὁ νεώτατος ἀδελφὸς ἡμῶν — πάρεστι καταφρονῶν τῶν σῶν λοιδοριῶν. §. 152: ἐμοὶ τρεῖς παῖδές εἰσι, — οὓς ἐγὼ ἥκω μετὰ τῶν ἄλλων κομίζων — πρὸς τοὺς δικαστάς. §. 179: κἀμοὶ μὲν οἱ συνδεησόμενοι πάρεισιν ὑμῶν πατὴρ μέν, — ἀδελφοὶ δέ, — κηδεσταὶ δὲ καὶ ταντὶ τὰ μικρὰ παιδία. Eodem spectant preces quibus utitur et commemoratio periculi quod sibi instet si damnetur: §. 8: εἰμὶ μὲν γὰρ ὁ κινδυνεύων ἐγὼ νυνὶ περὶ τοῦ σώματος. p. 159: πολλὰ καὶ χαλεπὰ παρακολουθεῖ τῷ κρινομένῳ καὶ μετακαλεῖ τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς ὀργῆς ὁ κίνδυνος ἐπὶ τοὺς ὑπὲρ τῆς σωτηρίας λόγους. §. 167: ἕνεκα — τοῦ παρόντος κινδύνου. §. 179: τὰ μικρὰ παιδία τοὺς κινδύνους οὔπω συνιέντα, ἐλεεινὰ δ', εἴ τι συμβήσεται ἡμῖν παθεῖν· ὑπὲρ ὧν ἐγὼ δέομαι καὶ ἱκετεύω πολλὴν πρόνοιαν ποιήσασθαι. §. 180: παρακαλῶ καὶ ἱκετεύω σῶσαί με πρῶτον μὲν τοὺς θεούς, δεύτερον δὲ ὑμᾶς. §. 182: δέδοται τὸ σῶμα τῷ κινδύνῳ. §. 184: τὸ σῶμα τοὐμὸν ἤδη παραδιδωσιν ὑμῖν καὶ ἐγὼ καὶ ὁ νόμος. Hocine modo verisimile est Aeschinem locuturum fuisse, si civium tantum gratiam ne amitteret verendum erat, an non haec eius sunt verba cui verum capitis periculum impendet? Accedunt loci, quibus non solum locutum esse Demosthenem, audivisse iudices dicit, sed quomodo locutus sit ille vel audierint iudices. §. 85: ὁ μὲν τοίνυν ἐπιδακρύσας ἀρτίως ἐνταυθοῖ Δημοσθένης κ. τ. λ. §. 102: τὸν αὐτόν μοι τρόπον διαμείνατε ὅνπερ ἐξ ἀρχῆς ἐν τοῖς προειρημένοις ἤδη λόγοις ἠκροᾶσθε. §. 157: ταῦθ' ὑποθεὶς ἐπεῖπεν ἐντεινάμενος ταύτην τὴν ὀξεῖαν καὶ ἀνόσιον φωνήν. Quibus si addideris verba quae leguntur §. 5: σχεδὸν δ' οἱ πλεῖστοι τῶν πολιτῶν πάρεισιν, non dubitabis quin sermo sit de vera actione forensi. Quid enim absurdius excogitari potest, quam haec scripsisse Aeschinem in oratione non in iudicio habita sed ad dissolvendas adversarii calumnias edita? At obiicit

Westermannus[1]), orationes omnes, fictas quoque, ut orationes esse viderentur ad forum accommodate scribi debuisse. Recte; concedam orationes Demosthenem et Aeschinem potuisse scribere similes forensibus, sed talia inseruisse eos de magna corona adstantium aliaque multa, quae non omnibus fere iudiciis communia sunt sed ad singularem quandam actionem spectant, id equidem mihi persuadere non possum, quum omnes cives nullam litem institutam esse non ignorarent. Unum accedit quod minus etiam scribere potuit Aeschines, nisi habita esset oratio. Narrat enim Demosthenes §§. 196—198 in convivio quodam Aeschinem et Phrynonem ebrios mulierem Olynthiam captam a Philippo verberasse, quia iussa cantare noluisset. Haec omnia ficta esse Aeschines contendit neque iudices ipsos his rebus fidem habuisse sed Demosthenem haec opprobria proferentem explosisse. Atque bis ad eandem rem redit, primum §. 4. his usus verbis: *ἐξέστην δ' ἐμαυτοῦ καὶ τὴν αἰτίαν βαρέως ἤνεγκα, ὅθ' ὕβριν καὶ παροινίαν εἰς γυναῖκα ἐλευθέραν καὶ τὸ γένος Ὀλυνθίαν κατηγόρει μου. ἥσθην δ' ὅτ' αὐτὸν ἐπὶ τῆς αἰτίας ὄντα ταύτης ἐξεβάλετε κ.τ.λ.* Iterum §. 153, ubi haec leguntur: *ὃς τοιοῦτον ἔπλασε τὸ περὶ τὴν Ὀλυνθίαν γυναῖκα ψεῦδος κατ' ἐμοῦ, ἐφ' ᾧ μεταξὺ μὲν λέγων ὑφ' ὑμῶν ἐξεῤῥίφη.* Quomodo vero explosus vel expulsus sit Demosthenes, narrat Ulpianus, vel quisquis est ille scholiasta, qui ad Demosthenis locum quem supra citavimus haec adnotat: *ἰστέον ὅτι ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ ἀνέστησαν οἱ δικασταὶ καὶ εἴασαν τὸν ῥήτορα λέγοντα, τοῦ Εὐβούλου συμπράττοντος τῷ Αἰσχίνῃ, μισοῦντος δὲ τὸν ῥήτορα, εἰπόντος αὐτοῖς· „τοιούτων αἰσχρῶν ἀνέχεσθε λέγοντος ῥήτορος;“* Haec scholiastam ex Aeschinis animo commentum esse putat Rankius[2]) eumque secutus hallucinatum esse Ulpianum dicit Westermannus[3]). Neque

---

1) p. 56.
2) Ersch. et Gruberi encycl. litt. s. v. Demosth. p. 106.
3) de litibus p. 56.

ego volo nunc Ulpiani auctoritatem tanti facere, ut eius narratione rem confici putem, quamquam video Boehnekkium [1]) hoc unum argumentum summi momenti habere. Immo largiar haec omnia finxisse scholiastam ex locis illis Aeschineis et Eubulum desumpsisse e Dem. §. 290. Aesch. §. 184., quid vero de Aeschinis disertis verbis iudicemus? Eum quoque hallucinatum esse dicamus et bis eadem scripsisse quum omnes Athenienses ut res se haberet, bene cognovissent? Nemo, opinor, tales ineptias eum comminisci potuisse credat. At, inquit Westermannus, nec eiectum hoc loco esse oratorem (Demosthenem) nec abscissam orationem, ex multis patet partis posterioris locis, ad quos in sua oratione Aeschines respondet. Recte hoc quidem; sed quis, quaeso, Ulpiano credet, abiisse iudices, quum ex illis Aeschinis locis, vocabulo usi quod maximam vim haberet, nihil colligere liceat nisi iudices Demosthenem explosisse neque hanc rem ut instituerat totam narrare passos esse? In oratione vero quam scriptam edidit, nihilo minus historiolam illam deesse noluit, maxime idoneam quae Aeschini in ignominiam verteretur.

Restant loci nonnulli, quos qui scribere potuerit Aeschines, nisi orationes habitas esse statuamus, vix intelligitur. Refert enim Aeschines in sua oratione quaedam ut a Demosthene dicta quae in eius oratione nusquam leguntur. Iam Hieronymus Wolfius eumque secuti plerique editores arbitrantur, Demosthenem haec ex oratione post iudicium edita emisisse, minus apta ea ratum, vel alia causa permotum. Westermannus autem putat fieri potuisse, ut haec non plane ficta quidem, sed ex sermonibus Demosthenis fortasse vel potius ex lite Timarchea ab Aeschine desumerentur et orationi περὶ παραπρεσβείας insererentur. Sed vide quomodo soleant ex sermonibus quae sumpta sunt oratores afferre cl. Dem. de f. leg. §. 188: οὕτω τοίνυν αἰσχρὰ — καθ' ὑμῶν

1) Forschungen p. 676.

*πεπρεσβευκὼς περιιὼν λέγει· τί δ' ἂν εἴποις περὶ Δημοσθένους κ. τ. λ.*; etiam ex lite Timarchea Demosthenes quaedam repetivit, sed id ut disertis verbis declararet. cf. §. 242: *ἔλεγε τοίνυν τότε πρὸς τοὺς δικαστάς.* Illos autem Aeschinis locos non eiusmodi esse quo melius unusquisque intelligat, infra exscribam. Postquam §§. 8. 9. quas columnias in se congesserit Demosthenes, breviter perstrinxit, §. 10. sic pergit: *ἐνεχείρησε δ' ἀπεικάζειν με Διονυσίῳ τῷ Σικελίας τυράννῳ καὶ μετὰ σπουδῆς καὶ κραυγῆς πολλῆς παρεκελεύσαθ' ὑμῖν τὸ θηρίον φυλάξασθαι καὶ τὸ τῆς ἱερείας ἐνύπνιον τῆς ἐν Σικελίᾳ διηγήσατο.* De his omnibus in oratione Demosthenica ne verbum quidem legitur. Porro §§. 83—85 Aeschines narravit Demosthenem prohibere voluisse ne Critobulus, Cersobleptis regis legatus, sociorum legatis adscriberetur; addit §. 86: *τετόλμηκε δὲ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν ὁ κατήγορος ὡς ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐγὼ Κριτόβουλον ἀπήλασα*: et paullo post: *ὁρῶν με, ὡς ἔφης ἀρτίως, ὠθοῦντα ἀπὸ τῶν ἱερῶν τὸν πρεσβευτήν.* Neque Critobulus a Demosthene commemoratur. §. 124. Aeschines haec dicit: *Τίνες οὖν ἦσαν αἱ ἀπάται; ταῦτα γὰρ τοῦ γόητος ἀνθρώπου ἐξ ὧν εἴρηκε λογίσασθε. εἰσπλεῖν μέ φησιν ἐν μονοξύλῳ πλοίῳ κατὰ τὸν Λυδίαν ποταμὸν τῆς νυκτὸς ὡς Φίλιππον καὶ τὴν ἐπιστολὴν τὴν δεῦρο ἐλθοῦσαν Φιλίππῳ γράψαι.* Demosthenes §§. 36 et 38 affirmat epistolam quam Philippus misisset scriptam esse ab Aeschine et §. 175 noctu cum Philippo Aeschinem convenisse, sed navigio flumen eum transgressum esse nusquam legitur. §. 156. Aeschines his verbis utitur: *ἆρα μέμνησθε ὡς — Σάτυρον τὸν κωμικὸν ὑποκριτὴν προσεπαινέσας ὅτι ξένους τινὰς αὑτοῦ αἰχμαλώτους σκάπτοντας ἐν τῷ Φιλίππου ἀμπελουργίῳ δεδεμένους παρὰ τὸν πότον ἐξῃτήσατο παρὰ τοῦ Φιλίππου, ταῦθ' ὑποθεὶς ἐπεῖπεν ἐντεινάμενος ταύτην τὴν ὀξεῖαν καὶ ἀνόσιον φωνήν, ὡς δεινὸν εἴη, εἰ ὁ μὲν τοὺς Καρίωνας καὶ τοὺς Ξανθίας ὑποκρινόμενος οὕτως εὐγενὴς καὶ μεγαλόψυχος γένοιτο, ἐγὼ δ' ὁ τῆς μεγίστης πόλεως σύμβουλος ὁ τοὺς μυρίους Ἀρκάδων νουθετῶν*

*οὐ κατάσχοιμι τὴν ὕβριν κ. τ. λ,* De Satyri magnanimitate quam cum Aeschinis pravitate comparat, Demosthenes agit §§. 193—195. At ibi non hospites Satyri exposcuntur in vineto fodientes, sed hospitis cuiusdam, Apollophanis Pydnaei, filiae. Tum non utitur grandiloquus magnificis illis verbis, sed simpliciter addit §. 196: *ἐξετάσωμεν δὴ πρὸς τὸ τοῦ Σατύρου τοῦτο συμπόσιον τούτων ἐν Μακεδονίᾳ γενόμενον, καὶ θεάσασθε ὡς παραπλήσιον τούτῳ καὶ ὅμοιον.* Sequitur narratio illa de muliere Olynthia verberata, de qua supra commentati sumus, quam non accepisse iudices vidimus. Quid igitur verisimilius est quam hoc eventu edoctum Demosthenem quum scriptam ederet orationem simpliciore loquendi genere uti maluisse quam quae coram iudicibus haud prospero successu oraverat iterare? Ex hoc uno exemplo etiam de ceteris probabilem coniecturam facere licet. Inepta fortasse Demostheni visa est Aeschinis cum Dionysio comparatio et narratio somnii sacerdotis Siculae; Critobulum se non ab ara arcuisse Aeschines probat strategorum testimonio; omnia denique illa de congressu suo nocturno cum Philippo relata testimoniis collegarum refutat et servum Demosthenis ad torquendum expostulat; quam *πρόκλησιν* quum non accipiat Demosthenes, falsa se narrasse videtur concedere. Haec igitur cur Demosthenes aut reciderit aut mutaverit, probabilis causa in promptu est; Aeschines autem, qui fortasse ante Demosthenem suam orationem ederet haec servavit, quibus demonstrare aptissime posset adversarium mentitum esse. Iam ponamus scriptas modo esse orationes, qua tandem ratione quove consilio talia potuit orationi suae inserere? Nam e Demosthenis sermonibus aut ex priore quadam oratione eum haec non sumpsisse docent et ipsa verba quae supra scripsi, et ei loci qui sunt de Satyro et de congressu nocturno, qui quidem in Demosthenis oratione habent quo referantur sed ita ut non omnia sibi respondeant. Porro quanta probabilitas est

quum Aeschines plus triginta locis [1]) manifesto ea spectet quae Demosthenes dixerit, quaeque in eius oratione περὶ παραπρεσβείας adhuc leguntur, duobus locis eadem loquendi forma usum eum ex alia oratione quaedam perstringere? Quod vero Westermannus illud refugium spernit, fieri potuisse, ut haec fortasse veterum criticorum opera ex oratione Demosthenica exstirparentur, id recte fecit; nam illos non totas sententias, sed singula tantum verba obelo critico notata extrusisse verisimile est; qualia Aeschines c. Ctes. §§. 166. 167. nonnulla ex Demosthenis orationibus sumpta carpit, quae nunc nusquam leguntur neque a Dionysio Hal. inveniebantur [2]). Eadem Weiskii [3]) quoque de hac re sententia videtur, quem laudat Westermannus.

Ut igitur iam huius quaestionis finem faciam, haec sunt quae effecisse mihi videor: quum habitae esse orationes a veteribus disertis verbis tradantur, quum quae contra afferuntur argumenta ex ipsa rerum conditione repetita haud magni vel potius nullius momenti sint, quum denique multa in orationibus insint, quae nisi habitas eas esse accipias qui scribi potuerint non intelligamus: demonstratum esse puto orationes in iudicio dictas esse, quum Demosthenes Aeschinem legationis rationem redditurum παραπρεσβείας accusaret; superiorem discessisse Aeschinem, Eubuli opera adiutum, sed triginta tantum suffragiis absolutum.

Unum restat, ut de suspicione aliqua quae apud veteres exstitit et resuscitata est a Tayloro [4]) breviter quae sentiam exponam. Tradit enim Photius pluribus locis, fuisse apud veteres qui putarent, Demosthenem ipsum hanc orationem

---

1) cf, §§. 1, 4, 6, 8, 9, 20, 22, 56, 57, 63, 78, 79, 89, 94, 119, 120. 121, 123, 125, 139, 130, 144, 146. etc.

2) de admir. vi dic. in Dem. c. 57. p. 1126. Reisk.

3) de oratione Demosth. de Haloneso (Schaef. app. in Dem. tom. I. p. 446. ann. 22).

4) Praefatio ad Demosth. or. de f. leg. (Schaef. app. ad Dem. tom. II. p. 397. 398.)

non perpolitam edidisse sed in commentariis reliquisse. Unum exscribam Photii locum[1]): *Καὶ μέντοι*, inquit, *καὶ τὸν περὶ παραπρεσβείας τινὲς ἐν ὑπομνήμασί φασι καταλελεῖφθαι, ἀλλ' οὐ πρὸς ἔκδοσιν οὐδὲ πρὸς τὸ τῆς ἐργασίας ἀπηρτισμένον γεγράφθαι. διὰ τί; διότι μετὰ τὰ ἐπιλογικὰ, πολλά τε ὄντα καὶ σχεδὸν τὸ πλεῖστον μέρος ἐπέχοντα, πολλὰς πρὸ αὐτῶν ἀντιθέσεις εἰπὼν πάλιν ἐπ' ἀντιθέσεις ἐτράπετο· ὅπερ ἀνοικονόμητόν τέ ἐστι καὶ διεῤῥιμμένον.* Neque negari potest haec ex parte quidem vera esse: non omnia esse bene disposita, argumenta non suo quaeque loco prolata, orationem denique non omnibus numeris absolutam. Attamen haec non ita sunt comparata ut criticis illis veteribus assentiri debeamus, qui non *πρὸς ἔκδοσιν γεγράφθαι* orationem perhibebant. Illi enim tamquam normam atque regulam Demosthenicae eloquentiae sumpsisse videntur orationem de corona, quam orator sui ipsius defensionem gravissimamque adversarii accusationem ita perpolivisse putandus est ut perfectissimae eloquentiae sempiternum exemplum evaderet. Hanc autem de falsa legatione orationem paullo post quam habuit eum edidisse verisimile est non eliminatam, quum Aeschines suam orationem edere pararet vel fortasse iam edidisset. Quod non omnia bene digesta sunt, id ita factum esse potest, ut Demosthenes, Aeschinem eiusque collegas Phocensium res perdidisse Atheniensiumque commoda prodidisse demonstraturus, quae ad legationem pertinebant maxime premeret, interponens vel obiter tantum attingens ea quae ad pacem spectabant quam Atheniensibus ipse suasisset. Aeschines autem qui in eo est ut ex pace omnia illa mala orta esse probet, totam rem e temporis ordine dispositam tractat; quare eius oratio multo dilucidior et perfectior videtur.

---

1) biblioth. cod. 265.

## CAPUT II.

### Num Demosthenes crimina quorum arguit Aeschinem iustis argumentis comprobaverit.

---

Priusquam ad hanc quaestionem diiudicandam accedamus, breviter ea enarrabimus, quae spectant et ad pacem Philocrateam et ad duas legationes, quarum Demosthenes et Aeschines participes erant et ad exitum adversum belli Phocensis. Breviter autem haec afferre licebit, quia Brueckneru[1]) et Boehneckius[2]) de his rebus ita disputarunt, ut 7
eos duces sequi possimus.

Athenienses frustra Olynthum servare conati — Philippus enim in eo erat ut urbem caperet — de pace cogitare coeperunt, ne suas urbes in Chersoneso sitas bello amitterent. Philippus quoque pacem optabat, nimirum ut ab Atheniensibus non impeditus per Thermopylas in Phocenses irrumpere eosque ex voto Thessalorum Thebanorumque delere posset. Ol. igitur 108, 1 Philippus primum per Euboeensium legatos deinde per Atheniensem, qui ab eo captus erat, Phrynonem Athenas renuntiat se cupere pacem; statim Philocrates primum decretum pertulit: licere Philippo de pace ineunda legatos Athenas mittere. Paullo post Olynthus expugnatur multique Athenienses capiuntur. Insequente aestate bellum continuatur; Athenienses per-

---

1) Koenig Philipp und die hell. Staaten. p. 143—202.

2) Συναγωγὴ ψηφισμάτων in eo libro qui inscribitur: Forschungen auf dem Gebiet der attischen Redner. p. 371. sqq.

legatos Graecas civitates ad societatem invitant. Proximo vere quum Philippus denuo per Aristodemum histrionem Athenienses certiores fecisset, se pacem inire velle, Ol. 108, 2 Philocrates alterum decretum pertulit: ut decem legati pacis faciendae causa ad Philippum mitterentur. Primae huius legationis (τῆς περὶ τῆς εἰρήνης) participes erant Demosthenes et Aeschines. Legati properato intinere in Macedoniam profecti a Philippo impetrant ut ipse legatos cum praecone Athenas mitteret qui pacem paciscerentur. Legati Athenas reversi ex Demosthenis decreto coronantur; idem Philippi legatos hospitio domi suae excepit. Ex Demosthenis decreto Elaphebolionis diebus 18 et 19 comitia de pace habentur et perfert decretum Philocrates: Athenienses eorumque socios pacem facere cum Philippo eiusque sociis ea conditione ut teneant quae tenuerint. Statim Atheniensium magistratus et sociorum legati qui aderant iusiurandum Philippi legatis praestant non admisso Cersobleptis Thracine regis legato. Iterum decem legati ut ius iurandum exigerent a Philippo eiusque sociis mittuntur; cuius secundae legationis (τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους) iidem Demosthenes et Aeschines participes erant. Legati post diem 3 Munychionis demum Athenis profecti, lento intinere Macedoniam petunt, et Pellae per 27 dies Philippi ex Thracia reditum exspectant. Hic enim Cersobleptem debellaverat eiusque filium obsidem secum ducens redit; statim expeditionem in Phocenses parat et Atheniensium legatos ut se comitentur permovet. Pheris in deversorio ius iurandum dedit »Atheniensibus eorumque sociis, Haliensibus et Phocensibus exceptis.« Tum legatos dimittit; qui quum 13 die Scirophorionis Athenas revertissent die 15 ad senatum de legatione referunt; Demosthenes suasit ut caverent Philippi fallacias. In concione postridie habita Aeschines bonam spem civibus facit ac Demosthenes, populum ne Philippo fidem haberet moniturus, a Philocrate exploditur; qui psephisma pertulit quo pax modo facta ad posteros extenditur

et Phocenses templum Delphicum Amphictyonibus tradere iubeatur. Quod decretum ut Philippo et Amphictyonibus renuntiarent, iidem legati electi sunt. Demosthenes legationem eiuravit; Aeschines, morbo, si ipsi credimus, impeditus domi mansit. Philippus ad Pylas castris positis Athenienses per litteras invitat ut omnibus copiis exirent iustis opem laturi. Phalaecus de Atheniensium decretis certior factus, die 23 Scirophorionis cum Philippo pactus est ut Phocensium urbibus traditis ipse cum exercitu libere discederet. Harum rerum nuntio allato Athenis magna consternatio; Aeschines ad Amphictyonum concilium proficiscitur; Philippus Phocensium urbes delet et Athenienses per litteras monet ne pacem modo factam solverent. Phocensium loco Philippus inter Amphictyones receptus, Orchomenum et Coroneam Thebanis, Nicaeam et Magnesiam Thessalis tradit. Quo facto Athenienses irati ne theoros quidem ad Pythia miserunt quae Philippus celebravit. Philocrates, quem a Philippo corruptum omnes arguebant, εἰσαγγελίᾳ accusatus (circiter Ol. 109, 1) in exilium abit. Denique Ol. 109, 2. Aeschines a Demosthene παραπρεσβείας accusatur, legationis rationem redditurus, quam nemo dum praeter Demosthenem reddiderat.

Demosthenes igitur Aeschini ea tantum crimini dabat quae alterius legationis (τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους) particeps fecerat et dixerat; promittit autem §§. 4—8. se demonstraturum esse Aeschinem ex legatione reversum civibus falsa renuntiavisse, perniciosa ut decernerent persuasisse, non ex mandato populi legationem gessisse, tempora ad res bene gerendas opportuna perdidisse, omnia denique haec fecisse a Philippo pecunia corruptum.

Haec accusationis quasi capita non ita pertractat Demosthenes, ut singula deinceps se excipiant, sed ab uno ad alterum transit, aut temporum seriem secutus, aut facilius se persuasurum iudicibus confisus, aut alia ratione permotus. Nostrum igitur est omnes criminationes in hunc

ordinem redigere, et videre quibus testimoniis probatae sint, denique examinare num Aeschines iuste se defenderit.

Primum igitur quaerimus, falsane Aeschines, et ea quidem sciens, Atheniensibus renuntiaverit. Demosthenes §§. 17—46. narrat, se quum primum ex itinere redierint legati, in senatu sententiam dixisse, cavendum esse de Pylis et de Phocensibus, Philippum enim Athenienses decepturum sibi videri; senatum ex sua sententia προβούλευμα dedisse, quo non laudati fuerint legati. Postridie in concione eadem se ad populum referre voluisse, sed impeditum esse ab Aeschine, qui polliceretur Philippum Thebanis non esse morem gesturum, sed Phocenses servaturum nec Atheniensium commoda neglecturum; quo facto tanta laetitia affectum esse populum, ut se contradicturum ne audire quidem vellet. Aeschines §§. 119—143. haec non refutat, quamquam negat se promisisse Philippum Thebanos esse coerciturum et Phocenses servaturum. Sed tamen eam spem se Atheniensibus fecisse, videtur tacite concedere, quum §. 136. dicat: *οὐ πάντες προσεδοκᾶτε Φίλιππον ταπεινώσειν Θηβαίους;* Accedit quod Demosthenes, quae in illa concione agebantur, tam plane et dilucide refert [1]), vix ut dubitari possit quin Aeschines bono animo esse Athenienses iusserit, quoniam omnia quae urbi conferrent facturus esset Philippus. Neque illud falsum videtur, quod dicit Demosthenes se non auditum esse a populo orare conatum, sed omnes risisse, quum Philocrates clamaret (§. 46): *οὐδὲν θαυμαστὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ ταὐτὰ ἐμοὶ καὶ Δημοσθένει δοκεῖν· οὗτος μὲν γὰρ ὕδωρ, ἐγὼ δ' οἶνον πίνω.* Hoc certe non refellitur iis quae Aeschines §. 121 dicit nunquam legatum prohiberi quominus de legatione sua ad populum referat; quae vero addit, Demosthenem probasse ea quae ipse retulerit et laudasse collegas, prorsus mendaciis

1) Eadem in orat. de pace §§. 9, 10. iisdem fere verbis recurrere recte observavit Brueckneras p. 189.

nituntur, vel potius ad priorem legationem spectant, quam dedita opera hoc loco cum posteriore confundere videtur. Iam quaeritur utrum dolo malo Aeschines ita egerit an ipse factum iri crediderit quae renuntiavit. Sibi quidem statim fuisse persuasum, ait Demosthenes §. 44, quae Aeschines promiserit, esse ficta; primum quia Philippus iusiurandum daturus Phocenses e sociorum Atheniensium numero excluserit, quod certe non fecisset si servare eos voluisset, tum quia nec in epistola quam Athenas miserat, nec per legatos suos eadem pollicitus esset. Neque ad haec Aeschines quidquam respondet, nisi illud, omnes putavisse Philippum Thebanos coerciturum; quo nihil probari unusquisque videt. At fortasse ipse a Philippo deceptus erat et nimis credulus eius verbis confidebat. Sed nihil certi Philippum publice legatis promisisse ipse Aeschines testis est, qui quum satis copiose §§. 113—118. suam coram Philippo orationem exposuerit, nullam mentionem facit responsi quod Philippus dederit. Neque vero privatim Aeschini quidquam promisisse Philippum, iure nostro contendere licet, quum §. 126. ipse neget se solum cum Philippo convenisse; sed sumamus privatim Philippum Aeschini eiusque collegis pollicitum esse non se neglecturum Atheniensium commoda, nec vehementer in Phocenses animadversurum, qui hoc Aeschines, nisi summae levitatis erat, credere poterat? Cur non postulabat ut Philippus ea in epistola publice ad Athenienses scriberet? Certe ita si fuisset, Aeschines hoc excusandi sui causa dicere et collegas testes afferre debebat; quod quum non fecerit, quis putet certi quidquam Philippum legatis promisisse? At si Philippus nihil promiserat, non erat Aeschinis leves Atheniensium animos mulcere et ut quiescerent adducere, quum Philippus maximis copiis cum Thessalis et Thebanis contra Phocenses arma moveret.

Longius etiam Demosthenes procedit et in ipsa legatione affirmat §. 174. collegas fefellisse Athenienses, quum lit-

teris, quas ipse veritatem secutus de rebus Macedonicis scripsisset, Athenas non missis alias darent *οὐδὲν ὑγιὲς* referentes. Sed utut haec sunt certe Demosthenes non probavit revera his litteris legatos Atheniensibus fraudem fecisse; quae enim in iis scripserint nusquam dicit, neque quid ipse suis litteris Atheniensibus renuntiaturus fuerit. Haec ita accipere licet ut Demosthenem de his litteris eo consilio locutum esse statuamus, ut maiorem adversario invidiam excitaret, quamquam mirum est ne hunc quidem in defensione ullam harum litterarum mentionem facere, quippe quae aptissimam ausam carpendi accusatoris praeberent. Idem fere dicendum erit de ea accusationis parte, qua epistolam quam legati Athenas reportarunt, ab Aeschine Philippo scriptam esse Demosthenes contendit §. 36, §. 38. Nam dicit quidem §. 175, illum saepe solum cum Philippo fuisse, sed Aeschines §§. 124—129. haec ita refutat, ut collegas duos testes adhibeat et Demosthenis servum, quem ille §. 175. dixerat vidisse Aeschinem solum a Philippo discedentem, ad torquendum exposcat; quam *πρόκλησιν* quum non accipiat Demosthenes, tacite Aeschinis defensionem veram esse concedit [1]. Nam quod ipse protulit § 175. testimonium collegarum, non ad posteriora spectat sed ad omnia ea quae inde a §. 174. Aeschini exprobravit. Nihil igitur quod ad hanc rem attinet probavit Demosthenes, neque quidquam obstat quominus credamus eo consilio finxisse haec Demosthenem ut multitudine criminum quasi obrueret adversarium.

Iam ad alteram ventum est quaestionem, num Aeschines ex legatione reversus Atheniensibus auctor fuerit, ut perniciosa reipublicae consilia caperent. Hoc quoque Demosthenes se probaturum esse profitetur §. 8.: *καὶ πάντα τἀναντία τῶν συμφερόντων συμβεβουλευκότα*: quae eadem repetit §. 178.: *πάντα τἀναντία συμβουλεύσαντα ἢ ἔδει*: tum

1) cf. Meier. et Schoem. att. Proc. p. 681.

vero addit: *τῇ μὲν τῶν συμμάχων ἀντειπόντα εἰρήνῃ, τῇ δὲ Φιλοκράτους συναγορεύσαντα.* Quibus ex verbis apparet Aeschinem perstringi propter operam quam in ipsa pace facienda collocaverat. At non propter factam pacem Aeschines accusabatur, sed propter legationem male gestam. Huc igitur illa non pertinent, neque aliud quidquam Demosthenes affert, quod Aeschines legatus ex legatione reversus Atheniensibus suaserit. Vituperat sane §§. 47—49. decretum quod Philocrates eadem illa concione, qua legati de legatione sua ad populum referebant, pertulit quo pax ad posteros quoque extandebatur et Phocenses sacrum Appollinis Amphictyonibus tradere iubebantur. Nusquam vero perhibet Demosthenes Aeschinem Atheniensibus hoc decretum suasisse sed auctorem eius esse illum innuit propterea quod tanta commoda civibus promiserit. Nullum igitur novum hoc crimen addit Demosthenes; nam Aeschines auctor omnium erat eorum quae Athenienses illius orationi de Philippi expeditione in Phocenses confisi facerent vel non facerent.

Tertio loco se comprabaturum esse profitetur Demosthenes, Aeschinem mandata populi in legatione sua neglexisse. Et enumerat §. 174. ea quae legati contra decretum perpetraverint: primum eos Phocenses et Halienses et Cersobleptem e sociorum Atheniensium numero expulisse, tum Cardianos inter Philippi socios recepisse. Quod igitur ad Cersobleptem attinet, is a Philippo victus est statim post pacem factam, dum legati in itinere sunt vel dum Athenis etiam commorantur. Demonstrat enim Aeschines §§. 90—92. Hieroneros a Philippo captum esse antequam legati Athenis proficiscerentur. Neque tamen Cersobleptes hoc uno oppido amisso iam debellatus erat; nam Philippus omne id tempus contra eum in armis erat, quod legati in itinere satis lento consumpserunt et quod Pellae degerunt Philippum exspectantes. Rex autem rediit Pellam 50 diebus postquam legati Athenis profecti sunt. cf. Dem. §. 155. Potuit igitur fieri ut Cersobleptem servarent, si ut iussi erant Demo-

sthenis senatus consulto (§. 154.) statim Proxeni navibus vecti eo se contulissent, ubi Philippum adesse audirent. Sed magna est quaestio unne Cersobleptes pacis particeps fuerit ut socius Atheniensium; negant hoc Brueknerus [1]) et Boehneckius [2]), quamquam non omni ex parte probasse mihi sententiam suam videntur. Etenim Demosthenes dixerat, Cersobleptis legatum, Athenis ius iurandum Philippi legatis praestiturum, ab Aeschine repulsum esse, quod nunc in eius oratione non legi iam supra vidimus, quodque verum non esse Aeschines comprobat §. 86. Reiectum autem eum esse ab alio quoquam, neuter dicit, sed Aeschines §§. 83. 84. narrat Critobulum, Cersobleptis legatum, in concione, cui Demosthenes ἐπιστάτης erat, a populo petivisse ut inter Atheniensium socios reciperetur; tum decretum ut hoc fieret tulisse Aleximachum; neque vero Demosthenem populum in suffragia mittere voluisse, sed coactum tantum hoc fecisse. Quae vero addit Brueckuerus, videri decretum non rogatum esse a populo, nusquam dicit Aeschines, neque magis, quod Boehneckius affirmat, Critobulum cum sociorum legatis ius iurandum praestiturum a praetoribus non ad sacra admissum esse. Quae quum ita sint, Demosthenes iure suo Cersobleptem Atheniensium sociis videtur adnumerare; sed verisimile est, Philippum, etiamsi legati in Thracia eum adissent antequam Cersobleptem subigeret, tamen a bello contra eum gerendo non destiturum fuisse, quum eius legatus ipso die quo pax facta est Athenis nondum adesset neque Atheniensium sociis adscriptus esset, sed nonnullis diebus post populi decreto adscriberetur. Quod vero Aeschines §. 98. negat iussos fuisse legatos in Thraciam proficisci, ad populi decretum pertinet; at Demosthenes quum cunctarentur legati, senatus consultum pertulerat, ut quam celerrime profecti eo se conferrent, ubi esset Philippus. Hoc certe non fecerunt sed satis lento itinere Pellam pe-

1) p. 166.
2) p. 373.

tierunt ibique otiosi manserunt. Concedamus igitur legatos, licet Thraciam adissent, Cersobleptem ne debellaret Philippum deterrere non potuisse; illud tamen excusari non potest quod passi sunt Philippum Atheniensium sociis iusiurandum dare exceptis Haliensibus et Phocensibus, qui disertis verbis inter sociorum numerum recepti erant, et quod Cardianos Philippi sociis adscripserunt, quos Athenienses non adscripserant.

Idem dicendum erit de quarto crimine, quo Demosthenes legatos increpat, quod Athenis priusquam proficiscerentur cunctati sint, quod terra Pellam petierint quum mari Philippum ubiubi esset adire iussi essent, quod Pellae otiosi manserint nec a Philippi sociis iusiurandum exegerint, quod cum Philippo, armis contra Phocenses paratis, profecti, Pheris demum iureiurando eum obstrinxerint. Ita enim factum esse ut Athenienses sero quomodo res se haberent resciscerent neque prohibere possent quominus Philippus Phocenses aggrederetur. Haec omnia quibus Aeschines refellat non habet, neque aliud obiicit nisi legatos in Thraciam proficisci non iussisse populum. At legati tres totos menses aberant, ut contendit Demosthenes §. 57; vel si Aeschini credimus, tertio Manychionis die legatos a senatu iussos esse proficisci, certe dum redirent plus sexaginta dies praeterlapsi sunt. Atque etsi largiamur excusari posse legatos Pellae Philippum exspectavisse (quamquam ne hoc quidem concedi debet), tamen statim a Philippo postquam rediit iusiurandum erat exigendum, atque quum non omni ex parte Atheniensium decreto satisfecisset, domum proficiscendum, ut Athenienses priusquam Philippus apud Thermopylas adesset cavere possent. Quod non factum esse eo magis vituperandum est, quia Aeschines ipse novam Philippi expeditionem non esse negligendam bene senserat; cf. quae ipse disserit §§. 103—105. Probatum igitur est a Demosthene, legatos cunctatione sua occasionem sustulisse Philippi a finibus Graeciae repellendi, contra ipsa *ψηφίσματος* verba socios

e pace excludi passos esse, a legatione denique reversos non aperte professos esse quantum periculum urbi impenderet sed falsa spe Athenienses decepisse.

Iam videamus quid detrimenti respublica ex eo ceperit quod Athenienses Aeschinis verbis confisi quieverunt, ut diiudicare possimus, num Demostheni idonea causa fuerit, qua commotus tanti criminis Aeschinem reum faceret. Nemo autem negabit, quae paullo post reditum legatorum facta sunt, perniciosa fuisse Atheniensibus: Phocensium enim urbes dirutae, Thebani superbia elati, Orchomenus et Plattaeae non restitutae sunt; Philippus in ipsa Graecia omnia ex arbitrio suo administrabat, frustraque resistentibus Atheniensibus inter Amphictyones receptus est. Quin primo de Phocensium deditione nuntio allato tantum ipsi urbi periculum impendere putarunt Athenienses ut σκευαγωγίας decretum rogarent. Dubitari autem nequit quin maxima ex parte mala illa culpa legatorum Atheniensibus acciderint. Nam ne nimis premere videar eorum negligentiam in ipsa gesta legatione: vel postquam redierint, Phocenses potuisse servari, recte videtur Demosthenes demonstrasse. Phalaecus enim ad Thermopylas loca munita tenuit, atque Atheniensium classis duce Proxeno haud procul ab erat, quae Philippum, si Phocenses non restistissent, prohibere poterat quominus Pylarum angustias transgrederetur. Athenienses autem legatorum promissis confisi, quid decreverunt? Philocrate suadente pacem ad posteros extenderunt et Phocenses sacrum Amphictyonibus tradere iusserunt, quorum soli Thessali et Thebani, Phocensium inimicissimi, aderant armati; Lacedaemonii enim discesserant, Athenienses domi manserunt, reliqui omnes quieverunt. Hac rerum conditione mirum non est Phalaecum omnes Phocensium urbes Philippo tradidisse, dummodo ipse cum excercitu libere posset discedere.

Unum restat, ut diiudicemus num Aeschines pecunia a Philippo corruptus ita egerit. Atque Philocratem pecuniam

sumpsisse, et ipse, quum accusaretur confessus est, iudicio non suscepto, neque Aeschines negare conatur, sed Demosthenem cum Philocrate semper fecisse obiicit, quod ut probet totam rerum conditionem convertit et historiam pacis urberrime exponit de qua quum ageretur, Demosthenes Philocratis decreta ut rogarent Atheniensibus persuaserit. Demosthenes autem in prima legatione (τῇ περὶ τῆς εἰρήνης) se Philocratis et Aeschinis pravitatem sensisse contendit; atque tum inimicitiam inter se et Demosthenem ortam esse ipse Aeschines concedit, quamquam aliam fuisse causam innuit §. 22 sqq. At etiamsi luce clarius est Philocratem corruptum fuisse, non iam inde sequitur neque Aeschinem incorruptum mansisse; quamquam Demosthenes hoc unum argumentum esse vult (§§. 114. 115.). Neque maiorem demonstrandi vim habet, quod §. 244. affert famam ubique esse divulgatam legatos pecuniam sumpsisse.

Porro quod ξένια a Philippo acceperunt legati (Dem. §§. 166—168.) in crimen iis verti non potest, quamquam Thebanorum legati maiore laude digni sunt, qui dona a Philippo sibi oblata non acceperunt sed ut beneficia sua in Thebanorem urbem conferret a Philippo impetraverunt (cf. §. 139. sqq.). Hoc etiam demus, quod Demosthenes §. 166. dicit captivos Athenienses potius a Philippo illis muneribus fuisse redimendos, recte ab Aeschine refutari eo quod obiicit §. 100. nunquam Philippus ab Atheniensium captivis pecuniam sumpsisse. Iam videamus reliqua argumenta quibus Demosthenes corruptum esse Aeschinem probare studet. Primum dicit §§. 102—110, nisi corruptus sit, deceptum eum esse a Philippo; oportere autem, si ita res se haberet, inimicum eum Philippo factum esse exacerbatum fraudibus eius et fallaciis; nunquam vero Aeschinem in Philippum ut hominem fraudulentum et Atheniensibus inimicum invehere, unde necessario consequi non deceptum sed corruptum eum esse. Satis grave sane argumentum neque tamen ita com-

paratum, ut per se probandi necessitatem habeat, nisi accedunt alia.

Alterum autem argumentum, quo utitur Demosthenes §§. 111—113, solum Aeschinem invitis omnibus, ne Philocrate quidem assenso, Atheniensibus suasisse ut Philippum Amphictyonibus adscriberent, eiusdem generis est; nam nihil probat nisi Aeschinem a Philippi parte stetisse neglectis Atheniensium commodis.

Addit Demosthenes novum argumentum §§. 116—119. Quum Philocrates ab Hyperide *εἰσαγγελίᾳ* accusaretur, ait se prodisse et postulasse ut omnes legati profiterentur, sibi non placere quae Philocrates perpetraverit; neminem vero obtemperasse: quare in aperto esse, etiam reliquos a Philippo pecuniam sumpsisse. Haec quum Aeschines non refellat, vera nostro iure habebimus, quamquam Demosthenes nullum testimonium addit sed simpliciter dicit §. 117.: *ταῦτα μνημονεύετε, ὡς ἐγὼ οἶμαι.* Neque tamen magni momenti hoc quidem argumentum est, quum in illa concione quiescere legati satius ducerent veriti sine dubio, ne si loquerentur statim tantam populi iram excitarent ut eiusdem criminis rei fierent. Immo, ut paullo longius procedam, cur Demosthenes in illa concione Aeschinem non ipse *εἰσαγγελίᾳ* accusavit, si persuasum habebat corruptum legatum se esse probaturum?

Porro hoc argumentum proponit Demosthenes §§. 121—127: postquam legati redierint, statim eosdem electos esse qui Amphictyonum conventum adirent; se eiurasse legationem; Aeschinem simulato morbo domi mansisse eiusque loco fratrem a senatu missum esse. Phocensium vero interitu paucis diebus post nuntiato sine mora eum ad Philippum esse profectum, non curantem Thebanorum inimicitiam, quos dixisset pretium proposuisse qui se interficeret. Aeschines §§. 94—96. negat se simulasse morbum, sed valetudine impeditum remansisse. Utut autem illud est, neque haec ad Philippum legatio neque intima cum illo familiaritas aliud quidquam

probat, nisi Aeschinem Macedonum rebus favisse; qua vero ratione commotus fuerit, id coniectura tantum assequi licet. Atque contendere aliquis possit eum ex animi sui sententia intimam cum Philippo amicitiam societatemque et Atheniensibus et omnibus Graecis utilissimam putavisse. At si attento animo Philippi machinationes persequeretur, et urbes ab eo captae qua conditione essent respiceret, brevi tempore aliter de eo sentire debebat, praesertim quum in ipsa legatione eius astutiam cognosceret. Quo enim consilio bellum pararet, legatos diligentissime videtur celavisse, si fidem habere volumus iis quae ipse Aeschines tradit inde a §. 103. Porro in ea epistola quam ex priore legatione retulerunt legati, scripserat Philippus: *ἔγραφον δ'ἂν καὶ διαῤῥήδην ἡλίκα ὑμᾶς εὖ ποιήσω, εἰ εὖ ᾔδειν καὶ τὴν συμμαχίαν μοι γενησομένην*[1]). Quum vero societas facta esset, in altera scripsit: *οὐκ εἰδέναι τί ἂν ποιῶν χαρίσαιτο*[2]). Apparet igitur non sincere egisse Philippum cum Atheniensibus, ita ut Aeschines consiliis eius diffidere deberet. Iam certum accedit testimonium quo probatur, Aeschinem dona a Philippo sibi obtata non respuisse. Tradit enim Demosthenes §. 145 Philocratem et Aeschinem in Olynthiorum agris possidere praedia ex quibus Aeschines triginta minarum fructum caperet; cuius rei testes adhibet ipsos Olynthios. Quamquam non disertis verbis affirmat haec dona accepisse eos, tamen Aeschines prorsus de hac re tacet, quod vix fecisset si non ita esset.

Haec omnia ubi reputaverimus, suspicari licet, Aeschinem quoque a Philippo corruptum esse, etsi certis argumentis probari nequit.

Iam si quaeras, qui tandem factum sit, ut Aeschines qui legatus tot tantaque reipublicae commoda, si non corruptus, certe summa levitate et negligentia ductus, prodi-

---

1) Dem. §. 40.
2) eod. §. 41.

disset, crimine absolveretur, hoc erit respondendum: factionem Macedonicam, ducibus Eubulo, Phocione, aliis integerrimis viris ac de republica optime meritis, etiam tum temporis tantum voluisse in iudicio, ut Aeschines, Eubuli potissimum opera adiutus, superior discederet. Hoc quoque afferre licet, iudicum animos a Demosthene paullo abalienatos esse eo, quod Aeschines demonstraverat, illum praeter Philocratem potissimum suasisse pacem, quae quidem ipsa minime urbi conduceret.

---

# Vita.

Natus sum Michael Schmidt anno huius saeculi XXVII in pago Thalcleinich prope Trarbacum sito, patre Nicolao, quem praematura morte abreptum lugeo, matre Maria Catharina e gente Graeff, quam superstitem adhuc esse valde laetor. Primis litterarum elementis imbutum in progymnasium Trarbacense parentes instituendum me miserunt. Inde a. MDCCCXLIV in Gymnasium Crucenacense me contuli, quod per triennium frequentavi. Auctumno a. MDCCCXLVII testimonio maturitatis munitus hanc almam universitatem adii, ut studiis philologicis operam navarem. Scholis interfui Virorum Cll. Aschbachii, Bernaysii, Boeckingii, Diezii, Freytagii, Loebellii, Monnardii, Ritschelii, Ritteri, Schleicheri, Schopeni, Welckeri. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quas possum maximas, praesertim autem Ritschelio et Welckero, quorum egregiae erga me benevolentiae illud quoque debeo, quod inter seminarii philologici sodales ordinarios receptus sum.

# Theses.

1) *Demosth. c. Aphob. I, §. 9. (p. 816. R.) verba:* τοὺς δ᾽οὐκ ἐλάττονος ἢ τριῶν μνῶν ἀξίους *ferri non possunt.*
2) *Comitia quibus pax Philocratea facta est non, ut vult Boehneckius, diebus 19. et 20. mensis Martii a. 346. a. Chr. n. habebantur, sed diebus 20. et 21.*
3) *Isaei de Pyrrhi hered. §. 24. (p. 31.) verba* ὁ τῶν ψευδομαρτυριῶν ὃν Ξενοκλῆς ἔφευγεν *eiicienda sunt.*
4) *Isocrates in panegyrico nullum omnino hiatum admisit.*
5) *Thucydidis verba quae leguntur lib. II. c. 37. §. 1. vulgo non recte explicantur.*
6) *Tibull. II, 2, 21. Dissenius sine idonea causa recedit ab hac librorum scriptura:*
   *Hic veniat Natalis avis prolemque ministret.*
7) *Errant qui antiquitatis studiorum loco alia quaelibet studia in gymnasia introducenda esse putant.*